

E P I T O M E.

LEVATA belli metu ciuitate, Italici milites domum dimissi sunt. Ut tuta a piratis navigatio esset, studium omne a Venetis adhibitum, resque praeclare ab eorum praefectis gesta est. Francisco Vendrameno, Patriarchae, Romam ire permissum est, ut se Pontifici doctrinae examen subiturus sisteret: qui deinceps Venetiarum Patriarchae designati essent, ne id cogerentur, Pontifex indulgit. Marcus Quirinus, trierarchus, in duas turcicas triremes impetum fecit: motus ob id Byzantii concitos Simeon Contarenius magna solertia sedauit. Tergestinorum ausus ab Aloysio Georgio repressi. Turbae in Carnis per Philippum Paschalicum compositae. Notum cum Pontifice iurgium ob pingue Venetae ditionis sacerdotium nepoti collatum: res tamen amice transacta. Cum libellum, Angliae Regis opus, Pontifici, Ecclesiaeque injurium, Rex ipse dono Reipublicae misisset; ita temperato consilio usus est Senatus, ut neque apud Pontificem, quod eum acceperat, neque apud Regem, quod eundem irreligiosae doctrinae ab iis, ad quos spectat, damnari passus fuerat, aliquid offenderit. Mauri Hispania eieci. Imminens Italiae bellum primum Henrici Galliae Regis, pugione a scario percussus, deinde & Fuentani Insubrum gubernatoris obitus avertit. Augustinus Canalius, classis praefectus, in Numidas piratas prospere pugnavit: Dragutes archipirata interfectus est. Utrius esset in Cenetenses imperium, Senatui cum Pontifice negotium fuit. Aliquandiu, prolatis scripto rationibus, disceptatum: nihil certi definitum est. Cum Ferrariensibus de finibus controversiae habitae. Ob privatorum similtates turbarum aliquid in Illyrico inter Venetos & conterminos Turcas excitatum. Angelo Baduario, ob detecta Senatus consilia, aqua & igni interdictum est. Leonardus Donatus, Venetiarum Dux, repentina morte sublatus: in ejus locum successit Marcus-Antonius Memus. Multa nefarie, haud tamen impune ab Uscochis patrata narrantur. Collata in stipendia militum pecunia, Mantuae Ducem contra Sabaudum Senatus iuravit. Christophorus Venerius, trierarchus, ab Uscochis captus, foedissima quaeque ab ipsis, & demum miserrimum mortis genus perpeffus est. Quae inter Mantuae & Sabaudiae Duces controversiae sedatae videbantur, iterum recruduere. Uscochorum fines Antonius Cibranus ferro & igne vastauit. Veneti Sabaudiae Ducem ad pacis consilia hortati, ejusque causam se suscepturos, nisi pactis Hispani starent, polliciti sunt.